



HIERONYMI
CARDANI
MEDICINÆ
ENCOMIUM.



EMO, ut opinor, facilius artem aliquam laudari, quam qui in argumentum inciderit per se abundans, splendidum atque illustre: nemo melius, quam qui quod laudare proposuit, bene nouit: nemo veriùs, quam qui tractauerit exercueritque: Ob hæc omnia artem medicam & faciliè, & bene, ac verè me laudare posse spero. Quòd si modò neque eloquentiâ, neque facundiâ illâ polleam, quæ tanto operi sit necessaria, nec colores illos ac fucos, qui à Rhetoribus addi solent, adiciam: meminerint qui legent, tantò formosiozem futuram orationem nostram his ornatis externo apparatu, quantò naturalis pulchritudo commentitiâ atque fucatâ præstantior est. Etenim cum oratio per se clara & splendida futura sit ob artis excellentiam.

Ornari res ipsa negat contenta doceri.

Nam seu ad Deos artis origo referatur, autores fuisse existimantur patet & filius, Apollo scilicet & Æsculapius, si Ouidio credimus, dicenti:

Inuentum medicina meum est: opifexque per orbem.

Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Seu ad quoscunque alios prima est inter omnes, & cum ipso humanitatis ortu initium cœpit: nam nihil antiquius esse potuit ea causa, propter quam inuenta est, scilicet morbis incommodisque mortalium: non nitar rationibus ut ostendam quam antiquus fuerit Æsculapius? quam vetus profapia Hippocratis? nam metuo ne potius fabulosa esse illa dicatis, quam de verustate dubitetis. Itaque his omiſſis, quæ minus necessaria sunt negotio nostro, quam dubia, ad ea quæ illius præstantiam ostendunt, quanquam mortalibus optanda sit, tranſeamus. Ea verò in triplici genere collocanda videntur, scilicet utilitatis, pulchritudinis, atque nobilitatis. Utilitatis duplex mihi genus esse videtur: tum ut humano generi, tum ipsis qui eam exercent, maximum afferat emolumentum. Iphis quidem mortalibus tantum certè affert, ut neque re ipsa, neque exèmplo vlla alia ars possit ei comparari. Quid enim maius homini contingere potest quam morientes ad vitam reuocare? quod fecisse cum plurimos medicos constet, etiam mortuos suscitasse quosdam prædicant. Æsculapium enim & Hyppolitum, & Tyndaridem à mortuis ad vitam, tum Æsclepiadem clarum medicum quendam à rogo reuocasse referunt. Quinetiam alios maius quid morte passos, ut dæmonio malo obsessos, resolutos, hydropicos, carcinomate laborantes, suspiriosos calculosos, tabescentes, luxatos, leproſos, cæcos, surdos, obliuiosos, claudos, syderatos sanasse melius est, & ipsa quotidiana experientia frequens. Dij quidem hac in parte sola tyrannus potentiores sunt, quod cum tyranni solum obesse possint, dij ipsi etiam

prodesse queant. Quamobrem & partem illam qua ipsi præstant, etiam diuiniorem esse atque illis propriam consentaneum est. Quid cum in quibusdam morbis adeo præsentem artis huius opem sentimus, velut in anginosis, synochis, colique doloribus vbi sanitatem morti coniunctam persepè videre licet? Quamobrem & à Diis tractatam, & eos qui tractarunt pro Diis habitos hoc ipso inuento, diósque ipsos ea indiguiffe, nihil mirum videri debet. Omitto fabulosa de Appolline, vt dixi, & Æsculapio. Christus, quem nemo addubitatur Deum fuisse, nihil maius egit, nihil frequentius quam quod medicinam, sed suo more (diuino scilicet) exerceret, ægros omnis generis sanando. Idque etiam per Spiritum sanctum Discipuli verbis docet dicens: Ægrotat vestrum aliquis, aduocet Ecclesiæ seniores, qui eum in Domini nomine oleo vngant: pro eoque supplicent: & fidei supplicatio ægrum seruabit, eumque alleuabit Dominus. Ille idem, vbi Dei nomen deponit, quasi ex hominibus vnus medici assumpsit. Sic etiam ex veteri lege Helisæus Naamanum Syrum à lepra: Angelus Tobiam qui cæcitate liberauit. Extant & quotidie tabellæ in delubris appensæ, illorum qui diuinis votis etiam diuina ope liberati sunt à morbis: vt opus ipsum ac finis in nullo ab his quæ à Diis impetramus, dissentiat. Hominum verò qui artem exercuerunt, atque ob id à veritate diuinitatis nomen & opinionem promeruerunt, neque exempla defunt, Chironis, Machaonis, Podalirij, Hipp. aliorumque: adeò vt parum abfuerit quin Paulus & Barnabas ob id à Lystrensibus pro diis colerentur: sed mos etiam nunc manet. Beatos enim ac Sanctos vocamus, atque in Diuorum numerum referimus, quarum supplicationibus sanitatem languentes adipiscuntur: inter quos non minus villo alio Rochus, vir pauper, vbique colitur: vt constet opinione hominum nihil tam esse diuinum, quam hominum sanationes. Quinimò & diui ipsi hac arte indiguiffe, non solum eam exercuisse videntur. Homerus,

Τὸ δ' ἐπὶ πάντων ἐδυνήματα φάρμακα πασῶν. ἴκιστα.

De Marte loquens. Ad quos alludit Virgilius de Venere, dum vulneratum Æneam curare student, dicens:

*Hæ Venus indigno nati concussa dolore
Dicitamnum genitrix Cretea carpit ab Ida.*

Quasi etiam minores dij aut ope huius disciplinæ indigerent, aut non sine ea vellent quemquam curari posse. Quinimò cum Æsculapius in templo Epidaurio ferretur languentes per somnium sanare, aut admonere de ipsa sanatione, non aliud faciebat quam vt conquisita illis ac præcipua auxilia ostenderet. Sed à fabulis rursus (si modo fabulæ sunt) ad Diuos nostros redeamus. Ipse Paulus, qui etiam mortuum suscitauerat, Timotheo viro sancto scribens, iubet vt vinum ob ventriculi imbecillitatem assumat: adeò verò hoc magnificat Beatus Augustinus vt parèndum medicis aduersus etiam constitutiones suadeat. Occasionum verò maximarum rerum, quæ vel ope medica restitutæ sunt, vt in Alexandro Magno, per Philippum medicum: Atheniensibus ab Hippocrate, dum peste laborarent: in Augusto, per Anronium Musam: seu perierint, velut cum per morbum C. Caligula seipsum & imperium Romanum pessumdabat: & cum parum ante nostram ætatem malè curato Bartholdo, militum classis Venetæ præfecto, res non solum Veneta, sed Christiana inclinauit, Turcica euecta est (ne longius repetam) neque vlla ars magis fœcunda est: nec si exempla referre velim, dies ipsa suffectura sit. Sed neque minus ipsis professoribus utilis, quam languentibus aut etiam his qui sanè, quoquo modo illius ope vti volunt. Seu enim nomen seu diuitias aut amicos parare velis, disciplina nulla melius aut vberius præstare potest. Omitto rationes, quæ omnibus manifestissimæ sunt, ad ipsa exempla venio. Adeò verò in quibusdam horum claret, vt non solum præcellat, sed sola sit, nulla enim ars esse videtur, imò neque potentia vlla aut dignitas, quæ sine inuidia, sine iniuria, sinèque offensa benefacere possit, quemadmodum ars medica. Diuitias quæritus? hæc dat & tantas & tam repentè, vt si exempla referre velim, fabulas narrare videar.

Omitto antiqua, quæ Hippocrati Artaxerxes obtulerit, quæ Phalaris Polyceto Messenio dederit: aut quæ Alexander Magnus Critobulo sanato Philippo illius patre, quæ Democides à Polycrate. Samiorum tyranno, qui etiam

aureas

aureas compedes à Dario Persarum rege accepit : quantum Crinas opum moriens reliquerit , cum iam viuens propriis sumptibus vrbes muros instaurasset : quoque Eristratus ab Antigono curato illius filio sexagies mille aureos philippeos acceperit, duorum tantum exemplorum quæ paulo ante nostram ætatem contigerunt, meminisse sat erit. Thadeus Florentinus non nisi quinquagenis aureis coronatis in singulos dies pactis extra urbem proficisceretur. Idem cum ad Honorium Pontificem, eius nominis quartum vocatus esset, centenos pactus est. Et tamen longè breuiore spacio quam trium mensium decies mille accepit. Recitat Philippus Cominus Argenterati princeps laqueum Corierum in quinque mensum spacio præter pinguem Episcopatum, accepisse quinquaginta quatuor millia aureorum coronatorum, à Ludouico Gallorum rege, eius nominis vndecimo : cum tamen Rex ipse eo morbo obierit. Sed vt mihi videtur non hoc donum fuit, quod quasi vi, vel metu extorsit : non merces bonæ valetudinis, cum vt dixi, rex ipse obierit, sed latrocinium. Quin etiam medicorum familiam, quæ nunc in tota Hetruria regnant, à medico quopiam ortum habuisse verisimillimum est. Quamobrem hac arte etiam ad regna paratur aditus : quo fit, vt etiam nobilissima sit : neque reges ob id eam exercere puduit. Hermes Trifidus Ægyptiorum, Ponti Mithridates, Arabum Sabel, Gyges & Sabor Medorum : fuit & Mesue regis Damasci nepos. Sed non tam laudabile est à paucis probari, quàm ab omnibus. Ab omnibus dico, quoniam quæ diuinis scriptis & sapientia immensa probantur, omni laude digna prorsus sunt. Inde illud Iosue Syrachii : Medicum suis præmiis affice, vt habeat ea quibus opus est : nam eum creauit Dominus Est enim à supremo medicina, & à rege stipendium accipit. Medici scientia caput extollit, ita vt proceribus sit admirationi. Dominus creauit ex terra medicamenta, quæ prudens homo non fastidit. Nonne ligno dulciscit aqua amara, vt eius vis ab hominibus cognosceretur : Ipse scientia hac donauit homines, vt suis miraculis gloriam consequeretur. Per hæc medetur, eorumque dolores tollit. Ex his & compositiones facit seplasiarius ad suauitatem, & malagmata ad valetudinem : nec vllus est eius operum modus, ea est ab illo per orbem prosperitas. Fili, in morbo tuo Dominum ne negliges, & ipse te sanabit : amoue culpam, rectas habe manus, & ab omni peccato cor tuum expurga : obmoue suaves odores, & similaginis monumentum, opimumque libamen, vt qui non conferas, & da medico locum, vtpote cuius autor sit Dominus : neve à te discedat cum eo sit opus nam & ipsi Dominum orant vt sibi lenimentum secundet, & vitæ causa sanationem. Qui in creatorem suum peccat, incidet in medici manus. Hoc testimonium : quo magis demiror eos qui perceptis neglectis, exutaque omni ob quæstum & ambitionem prorsus humanitate, cum pro diuino opere carnificinam exercent, sperare audeant vt vel minimæ portionis huius laudis sint participes. Sed hæc mittamus, quæ omnibus bonis notissima sunt : vobis verò si boni, si sapientes, si artis periti non estis, frustra conabor persuadere. Ad institutum redeamus, non solum præconiis diuina scriptura medicinam extollit, sed ipsis operibus atque præceptis. Quid illa antiquæ legis instituta, ne carnibus animalium, quæ vngulam non diuisam haberent, non suillis, non suffocatis vterentur ? de atium quoque delectu, ac cæterorum eduliorum de elephantiorum separatione, de tot balneis & abstinentia à Venere tempore fluxus mensum. nonne hæc omnia præter animæ repurgandæ commoda etiã valetudini bonæ corporis ad amulsum conueniunt ? Simile est apud nos præceptum illud, quo diebus duobus in singulas hebdomadas (ita vocant spaciū septem dierum) à carnium esu prohibemur. Nobis etiam præceptum est ieiunij quadraginta dierum : quod qui negligunt per luxuriam & impotentiam, sæpe magnis calamitatibus morborum, imò & intempestiuæ mortis opprimuntur. Sed non solum sacris scripturis, verum etiam poetis, oratoribus philosophisque commendatur Homerus.

Ἴκτρος γὰρ ἀνὴρ πολλὰν ἀντάξιόν αὐτῶν ἄλλων.

Et Aristoteles in primo de Republica: Et patrifamilias & principi Reipubl. medicina magis quam ars parandarum diuitiarum necessaria est: hac enim res habetur, illa bona valetudo. Nemini dubium est modesta laude, vt solet eam

omnibus artibus præposuisse: cum constet magis necessariam esse patrifamilias bonam valetudinem, quam rem familiarem: & Principi in Republica bene valere, vtilius sit quam opulentiam habere Rempublicam. Et Plutarchus in libello de bonæ valetudinis præceptis: At medicina (inquit) sic est de numero disciplinarum liberalium, vt politicæ splendore iucunditate nulla sit inferior. Porro mercedem magnam abunde addit sui studiosis, nempe corporis salubritatem ac prosperam valetudinem. Cicero maiorem medicinam honore dignatur, cum omnia ad illam referat, commoda, quæ vitiatas animis aut corporibus, aut casibus adhibentur. Vt illud: Ita sum leuatus, vt Deus mihi aliquis medicinam fecisse videatur. Vel id: Quibus autem artibus aut prudentia maior inest, aut non mediocri vtilitas quæritur, vt medicina, architectura? Talia multa non solum ille, sed & quisque fermè egregius auctor de hac diuina arte prædicat. Verum maiora sunt testimonia, quæ à miraculis artis sumuntur, quam quæ laudibus auctoris. Vespasianus igitur Imperator, vt maiorem diuinitatis opinionem nancisceretur. Imperiumque sibi & filiis stabiliret, medicæ artis exemplo duos curauit infirmos. Quod etiam à Pyrrho factum legimus: & nunc Gallorum Reges imitantur strumas solo tactu sanantes. Refert Erasimus, nostri seculi magnum decus, Calceranum medicum potionem quadam purgata, magna vermium multitudine hominem à dæmonio, quo Germanicè loquebatur, cum nunquam Germaniam inuississet, liberasse; tanta est huius artis vis, tanta excellentia. Non audita, non scripta referam, quæ ego vidi, quæque peregi solum recitabo. Laborabat mulier doloribus intestinorum assiduis, nec prodesse videbantur fomenta, non lenia medicamenta, non excogitata viuendi ratio: adhibuimus catapotia, triginta octo dentes exclusit, rursusque numerum alium non paruum, erant tamen è glutinosa pituita. Ita hæc diuina ars non solum corpora à morbis, sed animos etiam à superstitione liberat. Quominus demitor patrem Galeni somniis admonitum vt filium medicinæ traderet, Hippocratem vt ad Democritum sanandum pergeret, atque alia sexcenta huiusmodi Deorum curæ argumenta de hac sacra disciplina Cacodæmonas propellere multi profitentur, sed quotusquisque sine sulphure, vitis albæ aqua, aliisque eiusmodi acrioribus ac efficacioribus pharmacis: (Vt manifestum sit vim inesse arti, & dæmonas morbos esse, sed occultioris cuiusdam naturæ.) Iam verò videmus quid ipsa per se omnibus externis ornamenti auxiliisque nudata polliceatur ac præstet. Finem enim eius bene valere nemo negat: hocque tanti est, vt neque diuitiæ, neque gloria, nec potentia, nec filij, nec amici, imò ne ipsa quidem sapientia aut virtus, vbi hoc ipso destituamur, nos beatos efficere queat. Finge hominem morbo graui atque insanabili ad mortem properantem, quid illi bonum, quid dulce aut iucundum esse, aut videri, aut saltem conditionis acerbicatem lenire potest? At medicina dum morbos amouet dum vitæ hominem restituit, omnium bonorum, omnium voluptatum, quas per illam consequimur causa est. Quid aliis contigerit nefcio, patrem me filiosque meos superstites ob peritiam artis medicæ illius, ac meam planè scio. Præter enim quod in rudem medicum facillè impingere fuisset in tam difficillimis ac penè deploratis morbis, multo verò facilius, imò certè in minus diligentem: nunquam sanè in quenquam, qui simul tam bene & artem, & naturæ nostræ propria noceret, incidere potuissimus. Quamobrem cuique expediret propter se suosque, etiam si medico vti vellet, artem ipsam tenere: vt quæ medicus perperam non ex arte, aut per incuriam, aut vsui suo suorumve, aut naturæ incommoda licet ex arte delinquit, corrigere possit. Quæ etiam causa est, vt plerique optimorum medicorum modo non supra modum auidi sint, diuitiarum & ambitionis, aut casu aliquo pereant, ad extremam senectutem ac fatis incolumes perueniant. Nam Hippoc. propè centesimum, Auenzoar etiam ad centesimum xxxv. annum peruenisse, constans omnium opinio est. Cum igitur hac vna disciplina tot & tam magnis incommodis obuiam eamus, procul posita deuitemus, ingruentia auertamus, iam opprimentia perturbemus, insidentia expellamus siue domi, siue foris, siue in ipso itinere à nascentibus, à nondum natis, à pueris, adultis, iuuenibus, senibus, quippe quæ illius incommoda adeò minuat, vt apud Ciceronem in Catone melior sit conditio senis præscripto viuentis artis medicæ, quam adolescentis

ſeſcentis luxurioſè ac nequiter (ita enim apud illum Cato de ſeipſo gloriatur dicens.) Sed tamen (vt vos videtis) non planè me enervauit, non afflixit ſenectus: non curia vires meas deſiderat, non roſtra, non amici, non clientes, non hoſpites. Et rurfus: Nemo adhuc conuenire me voluit, quin fuerim occupatus. Poſteſt enim exercitatio & temperantia, etiam in ſenectute conſeruare aliquid priſtini roboris quænam vtilitate illi conferri poterit? At dicetis, Romani tamen hoc tanto commodo ſexcentis annis carere voluerunt, nec vnquam feliciter vixere quam cum ſine medicis ciuitas fuit. Nec perpetuò deſuere Senatus conſulta, quibus medici philoſophique ac mathematici ex vrbe tanquam peſtes noxiæ exigentur. Qui mos etiam nunc apud Turcas viget, & tamen gente illa nulla ferocior, nulla felicior, nulla numeroſior. Cato quoque & Plinius eiufdem artis ſunt ſcriptores & accuſatores egregij. Adrianus etiam Imperator illud vulgare reliquit moriens.

πολλοὶ στρατηγὸὶ καρίαν ἀπέλασαν :

πολλοὶ δ' ἰατροὶ τὸν βασιλεὺς ἀπέλασαν.

Videntur etiam morbi ad perfectionem animi facere. Et Platonem reſerunt quaſiſſe locum in vrbe minus ſalubrem in quo habitaret: quoniam exiſtimauerit robuſtiore in corpore animi vires magis languere. Hæc & talia multa à paradoxis parum abhorrentia, quæ magis deſendi ſolent ad artis oratorix vires oſtendendas, quam quod vel vera ſint, aut veris ſimilia, digna reſponſione non exiſtimans, præteribo: atque illos potius ægros eſſe iubebo, deinde felicitatem ſuam prædicare, animique fortitudinem extollere ſuam. Quanquam, quod ad Platonem attinet, nihil minus credendum ſit quam vt ex habitatione morbum quaſierit, cum mille modis aliis morbi cauſas quaerere potuiſſet: nec familiares amicos clientes, diſcipulos in idem conijcere periculum, atque prode. Sed ſi modo vera hæc ſunt, forſan hac ratione deuitare frequentiam voluit, ipſe ſibi conſidens propter eximiam omnium abſtinentiam. Itaque vtcunque res ſe habeat, omnia potius ſunt excogitanda, quam quod inutilis ſibi atque aliis eſſe voluerit. Quinimò potius hac ratione ſtudiis ſuis operam dare, atque libellis ſuis quos quotidie factitabat incumbere. Romanos vitariſſe medicinam, cum vitando illam maximè obſeruauerint, nego, medicos concedo: quod & Turcæ factitant: nam & inedia ſeruant, & catapocia deuorant, aliis que præſidiis artis vtuntur, velut etiam venæ ſectio- ne. Itaque maluerunt artem imperfectam habere ſecuram, quam cum periculo in tanta hominum perfidia perfectiore frui. Quanquam perfectio ad paucos peruentura foret, fraus in multos. Hæc ratio Romanorum ac Barbarorum plerumque, quæ non in artis vituperationem, ſed artificum ſolum cedit. Poſſem me excuſare de inculto æuo, de rudi gente, de feris moribus ſed nobis à veritate ipſa diſcedere haud licet. Qui verò illud adducunt ex ſacris literis, Fortitudo mea in imbecillitate perficitur: verbum *αὐθρία* non rectè interpretantur, vt quidam imbecillitatem alij abſurdus infirmitatem, etiam pro infirmitate morbum intelligentes, cum nullus Apoſtolorum aut diſcipulorum in ſacris literis vnquam legatur ægrotariſſe: ſed verbum illud vt à Paulo interpretandum eſt, infortuniis ſeu calamitatibus: quales explicat, carceres, verbera, accuſationes, contumelias, atque eiufmodi. Quod verò ad exercitiationem attinet (hoc enim ſecundum eſt genus eorum, à quibus nobilitatis, decoris, vtilitatis ac voluptatis ratio ſumi debet) nulla in parte aliis inferior artibus eſt. Vbi que habet quod agat torpet Imperator ſine milite. Iuriſconſultus inter arma ſilet, nec niſi magna cum mole librorum conſulere poſteſt: præſcriptos habet limites, inter quos iudicet. neque enim affinibus, aut cognatis litigantibus iudicem ſe poſteſt exhibere. Prouocationem habet iudicis ſententia, tamenſi iuſta, medicorum conſulta non habent. Raro iuriſconſulti de vita, medici ſemper de ſumma rerum tractant. Vitari poſteſt iudicium dominatio, compoſita inter partes lite, ſed non cum morbis pax aut induciæ vel præta intercedere poſſunt. Auxilium medici die noctuque præſto nobis adeſt, beneficium ſine offenſa, lucrum voluntarium non exortum: gratia principum, fauor populi, amicorum multitudo, exiſtimatio, opes, diuinitatis opinio. Rhetor friget apud pleraſque nationes, nunquam in eadem cauſa ab omnibus probatur: ſæpius iniuſta quam iuſta conſulit, innumeris occaſionibus

impeditur: non sine multis verbis, non sine magnis studiis, non absque ingenij excellentia, ac memoriæ tenacitate, denique non sine maximis animi ac corporis æstibus, ad gloriam ascendere potest, aut finem suum obrinere. Medicus vbique inuenit præsidia, seu ex horro dum spaciatur, seu incultis locis dum iter agit, seu domi, sed apud pharmacopolas. Mediocre ingenium, mediocris memoria, labor mediocris: modo recta voluntas non desit, nec plus velis quam possis sufficiunt. Obiicies intempestiuos labores, vigilias, iudicia quorundam peruersa, qui etiam bene acta perperam quasi inconsulto facta calumniantur: inopinatos præterea casus, insidias aliorum medicorum & malevolentiam: tum quod maximum est, assiduam & seruam operam, adeò vt miseriam sit quacunque alia arte. Quin etiam versari perpetuò inter fœda & tristia, vt olim seruorum tantum esset officium. Sic ita sanè: nõnne omnia hæc quæ videmus, quæque obscœna & fœda vocas nobiscum ferimus, intusque habemus? Neque triste est versari cum conualituris, sed iucundum: nam morituri presbyteris relinquuntur. Reliqua nulli contingunt, nisi ei qui per imprudentiam labitur, aut qui vitam & eius commoda pro ambitione & lucro venditat: mihi inquam totis triginta annis, quibus medicinam exerceo, vix triginta vicibus, imò ne tot quidem, hi casus obtigerunt: non seruietis vllis, si autem ea integritate exercueritis, vt illi potius qui nostra opera vtuntur, nobis seruiant, quam nos illis. Præterea cognouerint vos nullis pecuniis adduci posse vt seruiatis: ergo integrum cuique relinquitur, vel legitime artem exercere, nec cuiquam seruire: aut seruire, nec legitime artem exercere, sed obiter & pro illius sine proposita vana gloria, ambitione opibusque. Iudicia verò imperitorum vulgusque ac vanas obrectationes quisnam vnquam effugit, seu hac, seu aliâ in arte: habet tamen hoc commodum medicina, quòd terra celeritè, quicquid euenit sinistri, obteggit atque occultat. Ei verò qui peritus est, nihil horum vix in tota vita bis absque certa prædictione, adeò vt liber sit ab omni culpa, euenire poterit. Porro de assiduitate & serua opera non contendo, habet omnis dignitas, omnis virtus, omnis diuina operatio, secum coniunctam assiduitatem. Cœli nunquam ab opere suo cessant, non natura, non mens, non Deus denique ipse: quid miraris ergo eum qui medicinam redè exercere velit: perpetuò quasi operi mancipatum esse? Illud solum quod paucissimi animaduertunt, forsitan malum est, extremo morbo cognosce e ac scire se moriturum. Sed huic malo (si modo malum est mori probo viro) multis modis occurritur. Primum, quod multi absque morbo intereunt: deinde, quod breue est illud mœroris spacium: demum quod vnicique si libeat, vitare hanc curiositatem liceat, nec lotia inspiciendo, neque venas tentando. Ergo de exercitationis commodis hæc sufficiant: quæ vt non mediocri admiratione digna sunt, ita quicquid in contemplatione repositum est, planè diuinum est. Est autem hæc tertia pars & non minima laudis eius. Quærit medicus, an morbi, an sanationes à Deo immittantur, quemadmodum facit Hippocrates. sursumque mentem dirigens Theologus euadit. Idem quid sit anima, an mortalis, an immortalis, idem quid astra possint, & eodem modo an ab illis morbi sanationesque pendeant: ab iisdem enim vtrumque fieri, à quo alterum eorum fiat verisimile est. Ita motus siderum, & exortus considerans, atque occasus, tempora quoque geniturarum reditus non mediocre Astrologiæ partem tractat. Inde ad ventos, anni constitutiones, pluuias, serenitatem aut nubes siccas, frigora calorésque Metheorologicum dicetis exquisitissimum. Rursus cum domorum considerat structuram commodaque, architectum peritissimum. Quibus ventis exponendæ fenestræ, porticus, atrium: quibus lignis constare debeant ædes: quæ cubicula aut cœnacula & quomodo construenda, vt hyemali sole tepeant, æstiuua aura refrigerentur. Mitto coquorum artem, quam penitissimè oportet vt norit, totque alia quæ nunc enumerando potius ad ostentationem protrahi oratio forsitan videri posset, quam necessitatis causa recitari: hæc solum adiiciam, quæ ad medicum tantum pertinent, eique sunt propria: quorum scientia adeo admirabilis est, vt vnus medicus plura scire videatur, quam vniuersi alij artifices aut philosophi. Quid enim maius dici apud mortales aut excogitari potest, quam hominem vnum non solum noscere plantas omnes ac fructus tum lapides, metalla

pisces,

pifces, aues, ferpentes, quadrupedia membraque illorum vniterfa : fed generationem tum illorum, tum etiam eorum animalium quæ infecta dicuntur? fed formam & regiones vbi nafcantur, quæque optima peffimave fint? & quod maximum est, vires, secretâque potentias ac miracula? Vt fi hac in parte medicus philofopho conferatur, videatur fanè philofophus paruulus, viro comparatus. Nonne medicus herbas, arborès; fructus, femina; flores folus depingit? folus quid poffint nouit? atque idem In omnibus quæ terra producit facit? Quid dicam postmodum de diffectione illa admirabili corporum noftrorum, deque notitia vltus vnufcuiusque partis? Ille folus vim etiam elementorum nouit: ille morum perturbationes etiam fanare docet: nonne hæc (ingenue fateamur, quæ manifettiffima funt) propè ad diuinitatem accedunt. Quid subtiliffima illa pulfum atque vrinarum cognitio, ac aded admirabilis, vt multi eam effe negent, in qua cum natura ipfa cum ipfo rerum opifice (fed tamen id mementote, omnem humanam fcientiam vmbra quandam effe, cum ad diuinam immenfitatem comparatur) contendere velle videtur? quid dicam de diuinis medici periti oraculis in prædicendo, cum & mortem & falutem, & tempora & qualitatem aded norit, vt nullus vates; nulla deorum refponfa mereantur illis conferri? Quamobrem & de quorundam improbitate queri licet, qui & hoc tantum miraculum non folum in feipfis ob imperitiam perire finunt, fed etiam ex tota arte adimere conantur, audèntque inficiari, quod illi ob ignorantiam & auaritiam ac superbiam efficere nequeunt, neque fieri poffe, nec artis ipfius partem effe. Accessit huic tanto fpectaculo ac tam præclaro inuento quorundam nuper ftrenuiffimorum Heroum (ita enim merentur appellari) laboribus facunda oratio ac Latina, vt nihil nunc fuauius aut iucundius legi poffit, vt verè nunc huic difciplinæ Horatianum conueniat.

Et prodeffe volunt, & delectare Poëta.

Quorum princeps fuit Nicolaus Leonicens Vicentinus, post quem fequitur ex Germania, Gallia, Anglia, Italiâque multi alij: Laurentianus Copus Andernacus, Cornarius, Rheginus, Linacer, Cruferius, Vasseus, Gerardus, Rota, Felicianus, Fichardus, Crassus, Syluatrius, alijque plures: vt nec Sicilia huius honoris expertus fuerit Balanio fuo interprete, nemo in hi requirat ordinem, nemo fe prætermiffum queratur. Sed vt nobis in mentem venit, ita retulimus. Ob quæ comoda & iucundam lectionem hæc difciplina iam à nullis prætermitti folet. Memini vidiffe Andream Alciatum; noftre ætatis magnum lumen, operam dantem Galeni libris. Quid Erasmus? Budæus? Rhodiginus? partim Iurisconfulti, partim Theologi: omnes facundia Græca latinâque viri ornatiffimi, & qui fuorum laborum præclara monumenta pofteris reliquerunt. Sed & antiquorum, vt Ælianus autor est, Pythagoras, Plato, Aristotelésque medicinæ operam dederunt. Quæritis forfan quinam hac in difciplina viri claruerint? nimis apertum est quam vt referatur. Quis nescit Hippocr. illius fuisse principem, continua fucceffione ab Æfculapio deducta: Donatum quoque, fi vera filius eius refert, ab Athenienfibus ciuitate & ftatua. Proximus illi Galen, imperatoris medicus: cuius pauciora extant monumenta quam vellemus, plura quam credere fas fit, hominem potuiffe fcribere. Post quos Græcorum, Arabum & Latinorum magnus numerus est illuflrium virorum: nec noftro æuo defunt, qui fuis laboribus, industria diligentiaque aut amiffa iam recuperarunt, aut etiam fcriptis fuis ad artem multa adiecerunt. Itaque ob hæc tot tantaque priuilegia à nobis laudari, & à vobis ac ab omni inter diuina munera consecrari mereatur.